

# Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

## **M. Tvllivs Cicero Mannvcciorvm Commentariis Illvstratvs antiquaeq. lectioni restitutus**

Continens Orationum Volumen Primum

**Cicero, Marcus Tullius**

**Venetiis, 1583**

In Librvm I Actionis II Ciceronis In Verrem Pavlli Manvtii Commentraivs.  
Argvmentvm

[urn:nbn:de:gbv:45:1-764059](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-764059)



IN · LIBRVM · I · ACTIONIS · II  
CICERONIS · IN · VERREM  
PAVLLI · MANVTII  
COMMENTARIVS



ARGVMENTVM



*M*ALITIAM Verris, & Hortensij, Ciceronis consilium uicit. Illi, causae diffisi, spem omnem in sequentis anni praetore M. Metello, & in ipso patrone Verris, Hortensio, Quintoq. Metello, qui futuri consules erant, reponentes, curam omnem industriamq. suam in eximendo tempore, ducendaq. re defixerant. Contra Cicero, cognitis insidijs, omissa oratione perpetua, causam per testes, tabulas, auctoritates egit: interrogandi testes, argumentandi, dicendiq. facultate Hortensio tradita, orationem illi quoque perpetuam eripuit. quo deterritus Hortensius, desperato patrocinij sui exitu, agendae causae consilium abiecit: Verres autem ipse, tamquam conuictus, in exilium sponte discessit. Sequentes igitur quinque libros Cicero, quasi praesentem Verrem altera actione accusaret, ad eloquentiae laudem conscripsit. huius autem primi libri prooemio nihil aliud agit, quam ut Verres adesse, defendiq. iterum ab Hortensio, comperendinationum more, uideatur. deinde ad accusandum aggreditur, a quaestura Verris initio sumpto.





# M · T · VLLII · C · CICERONIS

## ACTIONIS · II · IN · VERREM

LIBER · I

### ORATIO · VI



**N**EMINEM uestrum ignorare arbitror, iudices, hunc per hosce dies sermonem vulgi, atque hanc opinionem populi R. fuisse, C. Verrem altera actione responsurum non fuisse, neque ad iudicium futurum. quae fama non iccirco solum emanarat, quod iste certe statuerat, ac deliberauerat, non adesse; verum etiam, quod nemo quemquam tam audacem, tam amentem, tam impudentem fore arbitratur, qui, tam nefarijs criminibus, tam multis testibus eius, ora iudicium adspicere, aut os suum populo R. ostendere auderet. est idem Verres, qui fuit semper, ut ad audendum proiectus, sic paratus ad audiendum: praesto est, respondet, defenditur: ne hoc quidem sibi reliqui fecit, ut in rebus turpissimis, cum manifesto teneatur, si reticeat, & absit, tamen impudentiae suae pudentem exitum quaesisse uideatur, patior, iudices, & non moleste fero, me laboris mei, uos uirtutis uestrae fructum esse laturos, nam, si iste id fecisset, quod primo statuerat, ut non adesset; minus aliquanto, quam mihi opus esset cognosceretur, quid ego in accusatione comparanda, constituendaq. elaborassem: uestra uero laus tenuis plane, atque obscura, iudices, esset: neque enim hoc a uobis populus R. expectat, neque eo potest esse contentus, si condemnatus sit is, qui adesse noluerit, & si fortes fueritis in eo, quem

nemo sit ausus defendere. immo uero adsit, respondeat, summis opibus, summo studio potentissimorum hominum defendatur: certet mea diligentia cum illorum omnium cupiditate, uestra integritas cum istius pecunia, testium constantia cum illius patronorum minis, atque potentia, tum demum illa uicta uidebuntur, cum in contentionem certamenq. uenerint. absens si iste esset damnatus, non tam ipse sibi consuluisse, quam inuidisse uestrae laudi uideretur, neque enim salus ulla maior reip. hoc tempore reperiri potest, quam populum R. intelligere, diligenter reiectis ab accusatore iudicibus, socios, leges, remp. senatorio consilio maxime posse defendi: neque tanta fortunis omnium perniciis potest accidere, quam opinione populi R. rationem ueritatis, integritatis, fidei, religionis ab hoc ordine abiudicari. itaque mihi uideor, iudices, magnam, & maxime aegram, & prope depositam reip. partem suscepisse, neque in eo magis meae, quam uestrae laudi existimationiq. seruisse. accessi enim ad inuidiam iudiciorum leuandam, uituperationemq. tollendam; ut, cum haec res pro uoluntate populi R. esset indicata, aliqua ex parte mea diligentia constituta auctoritas iudiciorum uideretur: postremo, ut esset hoc indicatum, ut finis aliquando iudiciariae controuersiae constitueretur. etenim sine dubio, iudices, in hac causa ea res in discrimen adducitur.

### EXPLANATIO



**R**ESPONSURVM non fuisse, & respondet non reus, sed personam rei sustinens defensor: respondet autem actione prima criminibus obiectis, altera uero iterum iisdem criminibus: postremus accusatoris locus est. nam, ut dixi iam, in comperendinatione bis utrimque causa agebatur. Responsurum igitur accipio, pro, affuturum, ut pro eo respondeat Hortensius. Et infra, cum ait: Respondet, defenditur: responsonem, & defensionem Hortensij significat. Et cum subiungit: Si reticeat: itidem ad defensorem refero, pro, si non defendatur. nam reus, in iudicio tacebat, defensor autem pro eo loquebatur. Aliter Asconius. EVICTVS & actione prima. **ORA iudicium adspicere**, & quibus crimina sua tam multis testibus nota esse intelligeret. **POPULO Romano** & circa iudicium stanti. **PROIECTVS**, & quem nulla ratio, quo minus in omne facinus rueret, continere potuisset. **AD AUDIENDVM**: & ea, quae commisit. **IPSE sibi consuluisse**, & quia, uitato iudicio, impudentiae suae pudentem tamen exitum quaesisse uideretur. **DILIGENTER reiectis ab accusatore iudicibus**, & quod iam antea factum erat. unde illud actione prima: Et in sortitione, istius spem fortuna populi Romani, & in reiiciendis iudicibus mea diligentia istorum impudentiam uicerat. **ABIUDICARI**, & abiungi, amoueri, auferri. **Prope depositam** & pergit in translatione, quia dixerat, Aegram: & quia, Prope depositam, hic dicit, subiungit, Suscepisse. Prope, autem non addidit sine causa, sed ut spem tamen aliquam ostenderet sanandae reip. nam si, Depositam, simpliciter dixisset; interitum demonstrasset. Similiter in Diuin. Fateor me, salutis omnium causa, ad eam partem accessisse reip. subleuandae, quae maxime laboraret. **PARTEM** & iudicia, uere magnam reip. partem, non tamen totam remp. **HAEC res** & quae nunc in iudicium uenit, causa scilicet Verris. **ALIQUA ex parte** & seruit modestiae suae. nam ad iudices quoque pertinet eadem laus. **CONSTITUTA** & ne labet, ut antea. **UT ESSET hoc indicatum**, & Ut, pro ubi, uel postquam. quod si ita accipitur, ut omnino accipiendum uideretur: non est, cur de mendo suspicari quisquam possit. hoc enim dicitur: Accessi ad hanc causam, ut, ubi de Verre iudicatum esset, nulla id de iudicijs inter populum Romanum, ordinemq.

QITARO